

moniaci alteri beneficium, vel officium ecclesiasticum per electionem, postulationem, confirmationem, nominationem, sive publicam, sive secreto ipso facto excommunicationi subjacet Pontifici reservate: & idem est de recipiente, mediatoribus, parentibus, amicis, & omnibus illis, qui adjuvant, & procurant, ut beneficium simoniace detur. *Extrav. detestabile.* Deinde irritantur, & annullantur omnes provisiones, & collationes taliter factæ, ut nullum jus per eas acquiratur: Unde recipiens simoniace beneficium fructus suos non facit, sed eos tenetur restituere, & beneficium statim dimittere ante omnem iudicis sententiam. Etiam si simonia, inscio beneficiario, commissa a parentibus, aliisve amicis fuerit, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

125. Has pœnas incurrit, qui simoniace recipit beneficium, etiam si simonia non ab ipso, sed ab alio tertio commissa sit, ipso tamen sciente, & non contradicente: Cap. *Nobis fuit 27.* Ubi additur, quod si sciens contradicat, valida est collatio beneficii in eo facta. Si tamen eo ignorante, & non contradicente, quia nullam habuit suspensionem simoniæ, ab alio tertio committatur, præter excommunicationem cæteris pœnis subjacet, quamvis fructus, quos bona fide consumpsit, restituere non teneatur. D. Th. q. 100. art. 6. ad 3. Si vero is, qui insciens beneficium simoniace recepit, triennali possessione bona fide illud tenuit, non potest eodem privari: quia bona fide, & colorato titulo possedit. Ei vero, qui mala fide possedit, non suffragatur triennalis possessio.

PUNCTUM VII.

Alia dubia de eorum materia.

126. Inq. 1. An simonia in beneficiis non solum ipso facto privet illo, quod simoniace obtentum est, sed etiam aliis omnibus antea rite obtentis? R. Ante sententiam iudicis condemnatoriam nec beneficiis antea rite obtentis, nec fructibus illorum ipso jure privari: quia nullum jus datur hanc pœnam expresse ipso facto designans. Potest tamen iudex etiam illa adimere simoniaco pro criminis gravitate. Excipitur tamen simonia fiduciaria, in

qua post sententiam declarativam criminis privatur simoniaco omnibus beneficiis antea obtentis. Et etiam simonia commissa ab examinativis beneficiarum in Synodo constitutis, seu electis, qui, si aliquid occasione examinis recipiant, privantur ipso facto beneficiis antea rite obtentis, & tenentur illa dimittere etiam ante iudicis sententiam, ut expresse habetur in Trid. Sess. 24. c. 18. de reform. Tandem qui beneficia per simoniam assequuntur, inhabiles remanent ipso facto ad alia beneficia obtinenda ante iudicis sententiam. Ut S. Pius V. expresse declaravit in sua constitutione *Cum primum.*

127. Inq. 2. An acquisita per simoniam restitui debeant? R. 1. Omnia beneficia simoniace accepta, & eorumdem fructus restituendos esse ante iudicis sententiam constat ex dictis. R. 2. Simoniaci in receptione ordinis, beneficii, & religionis, simonia reali, tenentur ad restitutionem ante sententiam iudicis. Habetur expresse in cap. *De hoc, de simonia.* R. 3. Pecuniam simoniace acceptam ob venditionem aliarum rerum spirituum restituendam esse. R. 4. Pretium simoniace acceptum in collatione beneficii, ordinis, & ingressu religionis debere restitui Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel cui injuria propter simoniam irrogata est. Sic D. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4. Idem dicendum de fructibus beneficii simoniace obtenti. *Cap. De hoc cap. Audivimus, de simonia.*

128. Inq. 3. Quis possit in supradictis pœnis dispensare? R. Suspendio ordinis simoniace recepti solum a Pontifice dispensari valet: quia illi reservatur *cap. penult. de simonia.* Idem dicendum de suspensione aliorum ordinum, quos jam legitime receperat, si scienter simonia commissa est; si vero ignoranter, dispensari ab Episcopo valet, sive publicum sit delictum, sive occultum. *Ex cap. Tuæ.* Idem tene de suspensione incurra ab ordinantibus simoniace, vel mediatoribus, & de illa, quam incurrit conventus, vel capitulum propter simoniacam receptionem religiosi, quæ omnes modo dicto Pontifici sunt reservatæ.

129. Ab excommunicatione item incurra ob simoniam in ordine, beneficio, aut religione solus Pontifex absolvere potest, quia illi est reservata. Per Bullam

CRU-

cruciatam absolvere valet semel in vita, & semel in morte quilibet confessor, sicut ab aliis censuris reservatis. Imo ab omnibus his censuris, si publice non sint, nec ad forum contentiosum deductæ, potest Episcopus absolvere juxta Trid. Sess. 24. cap. 6. de reform.

130. Inhabilitas, ad obtinendum beneficium simoniace acceptum solum potest a Pontifice tolli, nisi tribus conditionibus concurrentibus. 1. Quod simonia, beneficiario ignorante, & ratam non habente sit commissa. 2. Quod beneficium sit simplex,

non dignitas, aut curatus. 3. Quod, cognita simonia, sponte beneficium renuntiet: his adstantibus circumstantiis ab Episcopo valet ejusmodi inhabilitas auferri. *Ex cap. pen. de electionib.* Similiter inhabilitas ad alia beneficia, quia nullibi reservatur: nisi simoniaco sententiam expectet: quia damnatus de crimine simoniæ est infamis infamia juris, & ideo irregularis, & non potest Episcopus dispensare cum irregulari ex infamia juris, nisi in casibus in jure expressis: ut notatur in cap. *In te, de sent. & re judicata.*

TRACTATUS TRIGESIMUS QUARTUS

DE MATRIMONIO.

Accedimus ad ultimum novæ legis sacramentum; licet enim matrimonium absolute consideratum omnia sacramenta etiam veteris legis præcedat tempore, utpotè inter Adam, & Evam celebratum in statu innocentie: tamen omnibus credit excellentia, & dignitate. Ideoque post cætera de illo nobis agendum est in præsentii ductu D. Thom. in *supplem.* 4. 41.

CAPUT I.

De sponsalibus.

CUM sponsalia sint quasi præambula matrimonii, illorum naturam, ac effectus, seu obligationes oportet ante ipsum prælibare.

PUNCTUM I.

Nomen, essentia, & effectus sponsalium.

1. Inq. 1. Quot modis accipi possint sponsalia? R. Posse accipi quinque modis, 1. Pro muneribus, seu artibus, quæ sponsus ad sponsam, vel invicem uterque mittit, & tradit. 2. Pro dote a sponsa genitoribus, vel ab aliis sponso data. 3. Pro donis futuri conjugii ab aliquibus utriusque sponso collatis. 4. Pro matrimonio de præsentii, non consummato: qua ratione Beatiss. Virgo pulchre dicitur sponsa sacrissimi Jo-

seph. 5. Propriissime pro sponsione futuri matrimonii, sumpta ethimologia a verbo *spondeo*, quod promittere significat.

2. Inq. 2. Quid sint sponsalia? R. Sunt *mutua, libera, ac deliberata promissio futuri matrimonii aliquo signo sensibili expressa inter personas jure habiles.* Dicitur *promissio*, quia simplex intentio, desiderium, aut propositum, etiam exterius expressum non sufficit. *Mutua*, quæ a juristis dicitur *repromissio*. Si enim unus promittat, altero non repromittente, non ad sunt sponsalia. *Libera*, quia sponsalia metu gravi contracta nulla sunt. *Deliberata*, quia requiritur plena deliberatio, sicut ad alios contractus celebrandos. *Futuri matrimonii*, per quod sponsalia ab actuali matrimonio secernuntur. *Aliquo signo sensibili expressa*; est enim contractus humanus, qui per actus interiores nequit perfici. Unde esto promittens per lumen interioris agnosceret alterius repromissionem mere internam, non adesset sponsalia in ratione contractus humani, nec ut talia inducerent obligationem. Denique additur: *inter personas jure habiles*; alias nequeunt valida esse sponsalia. D. Thom. *ibi. q. 43. a. 1.*

3. Inq. 3. An, si sponsus, vel sponsa rem habeat cum alia persona, sit copula adulterina? R. neg. Quia adulterium solum adest, quando violatur alienum thorum, quod non verificatur de sponsis. Unde filii ex tali copula habiti sunt quidem illegitimi, & naturales, non vero adulterini,

rini, & spurii. Solum quippe sunt spurii filii generati ab habentibus impedimentum dirimens matrimonii. Debet tamen explicari in confessione circumstantia sponsalium, quia addit ex parte utriusque sponsi injuriam, aut injustitiam alteri irrogatam. Uterque enim per sponsalia acquirit jus ad rem, vel ad corpus alterius; quod jus violatur illud alteri tradendo.

4. Objic. Habens votum Religionis tenetur eam ingredi; & tamen, si antea contra paupertatem, aut castitatem delinquat, non irrogat illi injuriam, erg. licet sponsi teneantur ad matrimonium; tamen per copulam cum aliis ante illud habitam nullam invicem injuriam sibi irrogant. R. neg. conseq. Quia votum non fit religioni, sed Deo; promissio vero sponsalitia fit alteri cum ipsius repositione, per quam uterque acquirit jus ad rem, vel ad corpus. Unde illud alteri tradens injuriam facit innocenti, frangens fidem sponsalium. Idem est dicendum, si ambo delinquant, aliis se commiscendo; esto in sponsa sit major injuria, quia qualibet fornicatio foedior est in femina, quam in viro. In hoc tamen nequit non esse gravis, cum sufficiat ad disolvendam sponsalia, quae non nisi ex causa gravi dissolvi valent.

5. Inq. 4. An sponsalia occulta, seu privata sint valida? R. Esse quidem valida; sed ut plurimum illicita. Sunt valida, quia nullo jure irritantur. Sunt vero fere semper illicita, quia plerumque ex libidine potius, quam ex honesto fine oriuntur. Unde postea rixae, lites, perjuriae, dissidia inter familias, scandala, & alia innumera praedjudicia prosiliunt. Ideo optarem summopere quod Ecclesia annullaret omnia sponsalia, vel saltem privata. Sub eorum enim larva plurima perpetrantur peccata, quorum numerus minueretur, sublata spe futuri matrimonii. Si enim puellis haec janua occluderetur, aut ipsis constaret viros manere liberos, ad quam voluerint ducendam, non tam facile se venditarent. Vide dicenda n. 78.

6. Inq. 5. Quot effectus producant sponsalia? Resp. Quatuor producere effectus. 1. Est obligatio naturalis ex justitia adimplendi promissionem tempore congruo, hoc est impedimentum impediens aliud matrimonium. 2. Impedimentum dirimens ulteriora sponsalia cum alia quacumque per-

sona. 3. Impedimentum publicae honestatis dirimens matrimonium in primo gradu. 4. Est jus ad rem erga corpus alterius sponsi.

PUNCTUM II.

De conditionibus ad sponsalia requisitis.

7. Inq. 1. Quot, & quae sint conditiones ad valorem sponsalium requisitae? R. Sunt sex. 1. Quod promissio sit mutua. 2. Quod sit libera. 3. Quod sit deliberata. 4. Quod sit vera. 5. Quod sit exterius manifestata. 6. Quod fiat inter personas jure habiles. Omnia constant ex ipsa sponsalium definitione, quae adequate explicat naturam eorum. P. Cuniliati in praesenti addit aliam conditionem, nempe quod sit obligatoria verum haec non est conditio ad contractum, sed effectus ex eo ortus. Postis enim dictis sex conditionibus, oritur obligatio, vel ad statim, si ad statim, vel absolute fiat promissio; vel ad tempus, si fuit praefixum; vel expleta conditione, si fuit posita. De hac obligatione mox.

8. Inq. 2. An promissio absenti facta possit revocari ante ejus acceptance? R. affirm. Quia nulla promissio gratuita obligat ante ejus acceptance; ideoque revocari valet ad placitum promittentis. Si autem Petrus v. g. promitteret patri, tutori, vel curatori Mariae se illam in uxorem ducturum, deberet expectare tempus rationabile ad repositionem, quo transacto, ad nihil teneretur. Non enim quis promittit gratuite, nisi sub conditione acceptandi, & repositionem ab altera parte tempore congruo.

9. Inq. 3. An ad valorem sponsalium sufficiat acceptatio sine repositione? R. neg. Quia promissio mutua est de essentia sponsalium, erg. haec non subsistit illa deficiente. An autem promittens post acceptance sine repositione resilire valet, pendet ex intentione promittentis. Si enim promisit promissione sponsalitia, ad nihil tenetur. Et hoc est praesumendum, quando dubitatur de ejus intentione. Si autem promissio omnino gratuite, nolens obligare aliam partem ad repositionem, tenebitur stare promissioni. Non tamen sub gravi; nam promissio simplex, uti haec reputatur, solum obligat sub veniali, ut suo loco

loco dictum est. Verum licet absolute possit dari acceptatio absque repositione; acceptatio tamen sponsalitia implicite est repositio, & ut talis communiter aestimatur.

10. Inq. 4. An sponsalia ex metu gravi contracta sint valida? R. neg. supposito metu gravi injusto. Quia ut dictum est, sponsalitia promissio debet esse libera. Metus autem levis non irritat sponsalia. Imo neque metus gravis justus; ut si pater reprensus aliquem seorsim cum filia minaretur justam accusationem apud Judicem, & ex hoc metu promitteret, esset valida sponsalia. Secus autem, si accusatio esset injusta. Sponsalia enim, sicut etiam matrimonium, deponunt libertatem, tam physicam, quam moralem. Unde amentes, insani, ebrii, quamdiu tales, & alii usu rationis carentes contrahere nequeunt sponsalia. Ille vero, qui calore libidinis, aut alia passione percitus promittit, tenetur ad illa, quia licet haec quodammodo minuant, non tamen adimunt libertatem sufficientem ad obligationem contrahendam.

11. Inq. 5. Quomodo dicta promissio debeat esse deliberata? R. Debere esse ita, ut fiat cum plena advertentia ex parte intellectus, & pleno consensu ex parte voluntatis. Hoc enim requirit omnis contractus humanus, & potiori ratione sponsalitus, ut ex se patet. Non tamen requiritur, quod sit diuturna deliberatio, licet melius esset; illa enim, quae sufficit ad peccatum grave, sufficiens etiam est ad valorem sponsalium, licet sit instantanea, dummodo non semiplena, aut imperfecta, sed plena, & perfecta deliberatio adsit.

12. Inq. 6. Quomodo promissio sponsalium debeat esse vera? R. Debere esse, ita ut nulla fraus, aut fictio adsit, sed fiat vero animo promittendi, & se obligandi: alias vera promissio sponsalitia non esset, nec obligatio justitiae ex ea consurgeret. Peccaret tamen graviter fide promittens, nisi relinqueret aliam partem liberam a repositione: quia alias in re gravi eam deciperet. Si promittens ignorat obligationem, non eam contrahit: nisi promittere velit eo modo, quo alii promittunt. Sciens obligationem, & expresse eam renuens, solum fide promittit. Si autem serio promittat, obligatur, esto

promiserit sine animo se obligandi, quia obligatio inseparabilis est a seria promissione, ut dictum est tract. de voto. Intentio non implendi valida relinquit sponsalia, ut ibidem diximus de promissione Deo facta.

13. Inq. 7. An qui rem habuit cum femina sub promissione vera, aut ficta matrimonii, teneatur eam ducere? R. Si vir est nobilioris conditionis, aut timeatur dissidia, seu scandala ex tali matrimonio, non tenetur. Imo non debet eam ducere, sed recompensare modo possibili damnum, si quod passa sit ob copulam habitam sub spe matrimonii: quia si vir nobilioris sit conditionis, ipsa decipi voluit; & saepe ipsae feminae alliciunt, ac decipiunt viros, ad postea eos obstringendos secum contrahere. Unde repellit, plusquam laevi deberent in tribunalibus. Si autem uterque sit aequalis conditionis, debet eam in uxorem ducere, sive promissio esset vera, sive ficta; quia ex justitia tenetur stare promissioni exterius manifestatae. Vid. D. Th. q. 46. a. 2. ad. 4.

14. Inq. 8. Qualis manifestatio consensus requiratur ad valorem sponsalium? R. Debere esse claram. Dubia enim non est sufficiens, ut quis sibi gravem obligationem imponat. Unde verba urbanitatis quantumvis ampla non sufficiunt. Nec dicere: non ducam aliam quam te: haec quippe, aut similia verba tantum efficiunt sensum conditionatum, quod si aliquam duxerit, erit illa; non tamen exprimunt consensum actualem illam postea ducendi; quod requiritur ad sponsalia. Ideo nec taciturnitas ad ea contrahenda sufficit: nam regula, qui tacet consentire videtur, tenet in favorabilibus, secus in onerosis, aut obligationem afferentibus. Tunc quippe tenet alia regula: qui tacet, nec consentire, nec assensire videtur. Nec admittenda est exceptio pudoris; quia rebus publicae honestatis non opponitur pudor. Excipit tamen casum, in quo parentes puellae repositionem in sua presentia, quia tunc ex D. Thom. oppositum est asserendum; nam suplem. q. 45. a. 2. ad 3. ait Ang. "Unde verba parentum computatur in casu illo, ac si essent puellae; sunt enim sufficiens signum, quod sunt ejus, ex quo non contradicit." Cui concordat cap. Si infantes de desp. imp. in 6.

15. Inq. 9. Quæ sit ultima conditio pro valore sponsalium requisita? R. Esse, quod contrahantur inter personas jure habiles. Duplex potest adesse inhabilitas: Jure nature, & canonico. Prima est defectus usus rationis; ideo amentes, furiosi, aut ebrii, quandiu tales, aut ante completum septennium, nisi malitia suppleat ætatem, inhabiles sunt jure nature ad contrahenda sponsalia. Idem est de frigidis, aut eunuchis, sive a natura, sive ab arte. Idem de mutis, surdis, & simul cæcis, ut ex se patet. Muti vero, & surdi, qui signis suum consensum exprimere valent, habiles sunt ad quoslibet contractus, & sponsalia contrahenda. Ætas igitur requisita ad sponsalia sunt septem anni modo dicto; ad matrimonium quatuordecim in viris, duodecim in fœminis, quia matrimonium majorem ætatem requirit.

16. Secunda inhabilitas consistit in eo, quod ligatus impedimento dirimente, aut impediendo matrimonii, inhabilis sit ad sponsalia ineunda; quoniam impedimenta impedientia matrimonii sunt dirimentia sponsalium. Unde inhabilis est ad ea contrahenda, qui prius illa celebravit cum alia, vel habet votum virginitalis, castitatis, ordinis sacri, religionis, aut non nubendi. Quid sit tenendum de sponsalibus conditionatis, satis constabit ex dicendis.

PUNCTUM III.

De obligatione, quam sponsalia inducunt.

17. Inq. 1. Qualis sit obligatio a sponsalibus proveniens? R. Esse gravem. Licet enim promissio simplex levem tantum obligationem inducat; promissio tamen mutua, quæ a Juristis *stipulatio* dicitur, gravem obligationem inducit, quia est contractus perfectus, onerosus, utrinque obligans ex justitia in materia gravi. At si ex adimpletione promissionis magna timerentur incommoda, nulla esset obligatio, quia nemo potest obligari ad illicitum.

18. Inq. 2. An, si ex mutuo consensu contrahantur sponsalia, ita ut solum sub veniali adstringant, gravem inducant obligationem? R. neg. Tunc enim non essent vera sponsalia, sed mutua promissio ex fide litate tantum obligans; nec inducerent impedimentum publicæ honestatis.

19. Inq. 3. An a giudice possit compelli nollens implere sponsalia? R. Sub distinctione, vel enim relucatur juste, vel injuste. Si primum, causa a giudice cognita, nequit compelli, dicitur enim in cap. requisivit, Lucii Pape, de quadam reluctante adimpletionem juramenti de contrahendo matrimonio, "Ut post monitionem ecclesiastica censura renitentem compelleret, nisi rationalis causa obstiterit." Si secundum, compelli potest; et aliquando debet: *quatenus recusantem moneat*: ait Alex. III. in tit. de sponsalibus, "et si non acquieverit monitis, ecclesiastica censura compellat, & pactam in uxorem accipiat, & maritali affectione pertrahet." Unde quando sponsalia publice fuerint inita, & approbata a parentibus, Avis, Tutoribus, vel superioribus utriusque sponsi, nec supervenit gravis causa resiliendi, debet quilibet invitatus compelli a giudice in foro externo, & a confessario in interno, non enim potest absolvi potens, & nollens satisfacere gravi obligationi.

20. Ac si tanta fuerit reluctancia, & aversio, ut timeatur, quod compulsus fidei contrahat matrimonium, aut uxorem occidat, vel quod continuè rixæ, ac dissensionis ex eo oriantur, tunc ait Luc. Pap. cit. cap. "moneatur potius, quam cogatur, cum matrimonia semper debeant esse libera, et coactiones soleant in his casibus frequenter difficiles habere exitus." Debet ergo tam iudex, quam confessarius monere, & efficaciter inducere nollentem, non tamen compellere ad contrahendum; quia finis matrimonii est pax, & unio animarum: ergo quando oppositum timetur, non expedit compelli nollens ad illud contrahendum, sed ad reparanda damna, si quæ pars alterutra ex violatione fidei sponsalium passa fuerit. In Regno Hispano ventantur juvenes, quicumque illi sint, utriusque sexus, infra viginti quinque ætatis annos, etiam sponsalia absque parentum, vel tutorum, aut provectæ ætatis consanguineorum assensu contrahere ex Pragm. Sanctæ 23. Martii anni 1776. Precor demisse iudices ne cito credant fœminis, nec tantum faveant, quantum non semel vidimus magno dedecore, & dispendio nobilium adolescentium: vereor quippe, ne quædam fœminæ hujus patrocinii fiducia libentius peccent, & peccare faciant. Circa

spon-

Cap. I. De sponsalibus.

sponsalia filiorum attente etiam legatur prematica quædam piissimi Reg. Car. 3. data in Pardo prima die Februarii anni 1785. & infra n. 78.

21. Inq. 4. Quis sit iudex competens pro causis sponsalium, & matrimonii? R. Absolute loquendo esse iudicem ecclesiasticum; quia matrimonium esto includat contractum civilem, est tamen sacramentum, & sponsalia via ad illud. Igitur solum, quando aperte constat de valore sponsalium, potest iudex sæcularis compellere ad eorum adimpletionem, licet juramento firmata essent. Verum dubia circa eorum valorem apud iudicem ecclesiasticum versari, & decidi debent. Vide Bened. XIV. de Synod. lib. 9. cap. 9. num. 3.

22. Inq. 5. Quo tempore adimpleri debeat promissio sponsalium? R. Sub distinctione. Vel enim assignatum fuit tempus, vel non. Si primum, nulla pars tenetur adimplere usque ad tempus præscriptum, ut si designatum fuit post mensem, aut annum. Hæc autem designatio fieri valet, vel ad diem finiendam, vel ad diem non differendam. Hoc est, vel tantum ad sollicitandam adimpletionem pro tunc; vel etiam ad dissolvendam obligationem ex tunc, si tempore præfixo non contraxerint. Si primum, etiam transacto tempore, obligant sponsalia ad sui adimpletionem quanto citius. Si secundum, ex tunc dissolvuntur sponsalia, esto inculpabiliter ex parte alienius transeat tempus præscriptum; hoc enim assignatur, ut terminus obligationis, alias non est quæstio.

23. Si nullum tempus sit assignatum, debent adimpleri sponsalia, quamprimum oportune valeant; quia obligatio, pro qua dies non ponitur, præsentis die debetur. Et quod sine termino præfixo debetur, statim debetur, ut decernunt Jurisperiti. Hoc vero statim intelligendum est moraliter, & prudenter juxta circumstantias temporis, & personarum. Nihilominus laudabile semper erit quanto citius sponsalia adimplere, ut sic pluribus peccatis aditus præcludatur. Pro quo aditu amplius præcludendo, debent sollicite curare Parochi, parentes, tutores, & curatores, ne sponsi se visitent, videantur, aut alloquantur, saltem seorsim, & opposita assuetudo tamquam pestifera corruptela proscribi, damnari, ac eliminari penitus debet.

24. Inq. 6. An tactus, amplexus, & oscu-

Tom. II.

cula sint licita inter sponsos de futuro? R. neg. Tum quia per sponsalia non acquiritur jus in re, sed tantum ad rem erga corpora sponsorum, ergo illicitus est quilibet usus erga illa. Ut si Petrus iniret pactum cum Paulo vendendi, & tradendi huic equum, Paulus minime uti potest equo usque in diem traditionis; quia licet respectu equi habeat jus ad rem, non tamen in re. Tum quia solum illis sunt licita tactus, & oscula venerea, quibus, & quando licita est copula; sed hæc non est licita sponsis de futuro, ergo nec illa, nisi habeantur more patriæ urbanitatis causa, sicut inter alios, qui sponsi non sunt. Imo sponsis vitanda sunt præ aliis, ne occasione dispositionis ad ulteriora procedant. Hanc sententiam docent, ac plusquam sex validis rationibus strenue fulciunt PP. Salmant. tract. 26. cap. 3. a num. 56.

25. Verum P. Concina eam silentio præteriens tribuit Salmanticensibus oppositam, cui olim ut probabili subscripseret: de qua ait, *solum derisione, & contemptione esse explodendam*. In primis nulla doctrina ab authoribus hinc inde disceptata derisione, & contemptione, sed autoritate, & ratione confutari, aut refelli debet. Explodere vero derisione minime convenit scriptori modesto, præsertim religioso. Deinde vel Concina ignorabat sanam doctrinam a Salmanticensibus loco citato traditam triginta, & amplius annis, antequam ipse scriberet, vel non? Si primum, nimis ignorantem se prodit. Si secundum, cur illam non inuit in Salmanticensium laudem, aut saltem ad minorem eorum derisionem? Ipse noverit. Sed judicent alii, qua caritate, qua intentione, quæ æquitatis ratione Salmanticenses, qui se doctiores faci, relicta priori opinione, sapienter mutarunt sententiam, deridet Concina, lib. 2. de matrim. dis. 4. c. 2. num. 8. & 9.

26. Inq. 7. An poena a sponsalibus resiliendi adjecta, sit licita, & valida? R. Duplex est poena. Alia positiva, ut *si resiliat, solves centum aureos*. Alia privativa, ut *dabo tibi illos, si non resiliat*. Prima, si imponatur juste resiliendi, vel sine distinctione juste, vel injuste fidem frangenti, est illicita, & invalida ex cap. Gemma, de sponsal. sive apponatur a parte, sive a parentibus, consanguineis, vel amicis,

Mm

cis,

27. Verum injuste resiliens a sponsalibus, licet in foro externo liberetur a pena positiva solvenda; in foro tamen conscientiae tenetur ad eam subeundam; quia infert injuriam alteri parti, & injustitiam committit, ergo apud Deum debet poenam impositam subire, quidquid alii opinentur, favendo injustitiae, cui leges nusquam favere intendunt, esto illam in foro externo ut minus malum quandoque permittant.

PUNCTUM IV.

De causis sponsalia dissolvendi.

28. Inq. 1. Quot, & quales sint causae, quibus sponsalia dissolvuntur? R. Esse saltem undecim. 1. Mutuus utriusque sponsi consensus. 2. Reclamatio perveniens ad pubertatem. 3. Matrimonium cum alia contractum. 4. Copula, seu tactus frequentes pariter cum altera. 5. Votum castitatis, religionis, virginittatis, aut ordinis sacri. 6. Transitus temporis praefixi pro matrimonio celebrando. 7. Nimia dilatio voluntaria, quando tempus non est designatum. 8. Si mali eventus ex promisso matrimonio timeantur. 9. Absentia longinqua sponsi, aut sponsae. 10. Notitia alicujus defectus, quo cognito sponsalia non inirentur. 11. Notabilis mutatio rerum in corpore, in fama, honore, aut bonis, qua praevisa non celebrarentur sponsalia. Semper quippe contrahuntur sub conditione *rebus sic stantibus*, vel *mutatione notabili non superveniente*. Nec ob hoc sunt sponsalia conditionata; absoluta enim sunt, sed rescindi valent per dictas causas, aut mutationes. D. Thom. in *supplem.* q. 43. a. 3.

29. Inq. 2. Cur sponsalia dissolvi possint mutuo consensu? R. Quia res per quas causas producit, per easdem dissolvitur. *Cap. 1. de regul. jur.* Quod verum est, licet essent jurata, quia juramentum sequitur naturam principalis. Intelligitur tamen de sponsalibus inter puberes; nam impuberes nequeunt illa dissolvere, usque dum perveniunt ad pubertatem, ju-

re sic disponente, ne passim contrahant, & dissolvant sponsalia. Si vero nacti pubertatem a se cognitam non reclamant saltem intra tres dies, jam nequeunt transacto triduo a sponsalibus resiliere, sed obligantur sicut ceteri puberes. Idem, si sponsalia jurata sint ante pubertatem; sic enim expresse disponitur in *cap. Ex litteris Silvani, de sponsalibus*. Si unus ante alium ad pubertatem perveniat, potest statim reclamare, priusquam alter puber fiat. At si puber cum impubere sponsalia celebret, debet alterius pubertatem spectare, nec potest ante, nec post illam resiliere, nisi ex illius consensu jam puber facti praestito. Privilegium enim reclamandi concessum est solum impuberibus in favorem teneret aetatis. Si impuber ante pubertatem resiliat a sponsalibus, & non mutet dissentium, quando ad pubertatem pervenit, dissoluta manent sponsalia. Ideo enim ratificatur, dum non reclamatur in puncto pubertatis, quia censetur persistere prima voluntas, ergo dum non haec, sed dissentium persistit, dissolvuntur sponsalia.

30. Inq. 3. Quomodo dissolvantur sponsalia per subsequens matrimonium? R. Dissolvi ex parte innocentis, non vero ex parte injuste contrahentis, licet invalidum sit matrimonium. Nam si est invalidum tenetur ad sponsalia priora, quia non habet impedimentum. Si autem validum, eodem modo tenetur post mortem conjugis, aut si dissolvatur ante consummationem ex dispositione Pontificis. Prima quippe obligatio non omnino extinguitur ex ejus parte, alias reportaret commodum ex iniquitate, sed suspenditur ob actuale impedimentum. Idem est, si quis post sponsalia cum Maria, contrahat nova cum Julia, esto haec essent jurata: dissolvuntur enim priora ex parte Mariae innocentis, non vero ex parte fidem frangentis. Unde hic tenetur ad priora, si Maria voluerit eum compellere. Quando aliquis post priora sponsalia celebrat nova cum alia, haec secunda sponsalia, esto jurata, nulla sunt; quia ex justitia adstringitur ad priora.

31. Inq. 4. An qui post priora sponsalia cum Berta, contrahit secunda cum Titia habens simul copulam cum ea sub spe matrimonii, debeat ducere Bertam, an potius Titiam? R. hunc casum jam non ha-

habere locum in Hispania propter dicta n. 20. Generaliter autem loquendo prima sponsa est anteponenda jure validi contractus, qui peccato alterius nequit rescindi; ait enim regula juris *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*. Secunda autem damna sunt reparanda modo possibili, casu quo prima sponsalia ignoraverit, si vero sciens, & volens rem habeat cum sponsa alterius, nihil est ei redendum, sibi imputet damna ex peccato ei secuta. Exemplum quod affertur de traditione equi Didaco facta, post venditionem ejus celebratam cum Paulo, non est ad rem, propter maximam disparitatem inter utrumque casum: in *praescriptionibus enim & usucapionibus, jus fovet possessori, ne dominia rerum sint incerta*, ut dicit glossa. Didacus enim possessor est post traditionem equi, quod de Titia dici nequit, per copulam namque fornicariam nulla datur possessio, ut per se patet.

32. Inq. 5. Habens sponsalia cum Berta, & deinde copulam cum ejus sorore, cum qua debeat contrahere? R. Cum nulla posse absque dispensatione. Non cum Berta ob impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita cum ejus sorore. Non cum ista ob impedimentum honestatis proveniens ex sponsalibus cum Berta. Si copula cum illa praecedat sponsalia cum ista, sunt nulla, etiam ex hoc capite, ut ex dictis liquet. D. Thom. a. 3. ad 4.

33. Inq. 6. An tactus, & oscula cum alia dissolvant priora sponsalia? R. Esse causam sufficientem, ut sponsus rejiciat sponsam illa admittentem. Imo etiam ut sponsa recedat ab sponso, si frequenter illa habeat cum altera. Fornicatio autem sive sponsi, sive sponsae sufficit ex parte utriusque ad dissolvenda sponsalia; quia ex parte utriusque adest gravis fractio fidei sponsalittae, licet foedor, aut turpior sit ex parte sponsae.

PUNCTUM V.

Expenduntur aliae causae sponsalia dissolvendi.

34. Inq. 1. Quomodo dissolvantur sponsalia per subsequens votum castitatis, religionis, ordinis sacri, aut virginittatis? R. Dissolvi, quia semper contrahuntur sub

ea conditione: *Nisi meliorem statum elegero*. Unde licet caelibatus non sit status, vovens tamen castitatem in caelibatu, non tenetur ob dictam conditionem ad sponsalia, si nullum damnum irreparabile sequatur alteri parti; quia melior est caelibatus matrimonio. Debeat haec vota emitti sincero animo Deo serviendi; alias daretur locus fraudibus, & injustitiis. Semel autem quod fiat animo Deo melius serviendi, non sit injuria creaturae relictae, propter majus obsequium Deo praestandum. Si autem postea, mutato animo, velet obtenta dispensatione nubere, tenetur ad sponsalia, ad quae altera pars jus non amisit.

35. Objic. 1. Ex *cap. Veniens. De conditionibus app.* Ubi punitur foemina, quae post data sponsalia votum castitatis emit. 2. Quia nequit promitti Deo, quod est promissum homini, ergo nec licitum, nec validum est tale votum. R. neg. consequ. Ideo in dicto capite mulctatur foemina, quia in fraudem sponsalium emisit votum post sponsalia. Qui autem illud emit, non in sponsalium fraudem, sed vero animo Deo melius famulandi, licite illud emit, quia promissio Deo facta praevalet promissioni gratuita factae creaturae. Per quod patet responsio ad 2.

36. Inq. 2. Quale impedimentum sit votum simplex castitatis ad sponsalia, & quale ad matrimonium? R. Votum antecedens est impedimentum dirimens, ut diximus, sponsalium, & impediens matrimonii. Unde habens votum castitatis, religionis, aut ordinis sacri, contrahens sponsalia, nulla sunt, & peccat graviter. Si autem quis cum hujusmodi voto contrahat matrimonium, validum est, licet graviter illicitum. Qua ratione committit saltem duo peccata, unum, quia indigne suscipit sacramentum; aliud, quia exponitur periculo frangendi votum.

37. Inq. 3. Quae differentia adsit inter habentem votum castitatis, & religionis circa petitionem, & redditionem debiti, utroque matrimonium contrahente? R. Quod habens votum castitatis, non valet petere, nec reddere intra bimestre. Hoc autem transacto, vel etiam non transacto, si illicite consumavit, potest reddere, numquam tamen petere absque dispensatione. Imo etiam cum illa, toties violat votum,

276
tum, quoties extra matrimonium peccat contra castitatem. Solum quippe dispensatur quoad propriam uxorem. Si autem hæc moriatur, reviviscit votum, & non potest aliam ducere sine nova dispensatione, quæ non facile conceditur. Contrahens vero matrimonium cum voto religionis nequit petere, nec reddere debitum, etiam transacto bimestri, quia tenetur ad religionis ingressum, quamdiu illud non consumavit. At illo consumato, sive intra, sive extra bimestre, valet petere, & reddere, quia non habet votum castitatis, ut supponitur, & matrimonio semel consumato, nequit jam implere votum. Aliqui putant, quod contrahens matrimonium cum voto castitatis peccat illud consumando, etiam transacto bimestri, adhuc reddendo, quod non caret fundamento. Unde debet in bimestri curare dispensationem voti; alias saltem in hac negligentia graviter peccat, ut inquit D. Thom. in supplement. q. 53. art. 1. ad 3. Addit vero Angelic. ad 4. *Quidam tamen dicunt, quod potest & petere, & reddere, ne nimis onerosum reddatur matrimonium; sed si recte inspicitur, hoc est reddere interpretative.* Quibus verbis favet fragilitati voto ligati, ne nimis angatur scrupulis in petitione rationabili debiti.

38. Inq. 4. An per ingressum religionis, vel solum per professionem dissolvantur priora sponsalia? R. Etiam per ingressum dissolvi ex parte in sæculo manentis, qui proinde valet alteri nubere; quia ingrediens religionem, reipsa cedit juri sponsalium. Si autem a religione exiret, posset compelli ab altera parte stare promissis, quia ex utraque parte solum per professionem dissolvuntur sponsalia. Idem est de suscipiente ordines sacros, quia etiam hic meliorem statum eligit. Quamvis enim hæc conditio non includatur in aliis promissionibus, includitur tamen in illis, in quibus agitur de statu assumendo.

49. Inq. 5. Cur per nimiam dilationem, aut longinquam absentiam dissolvantur sponsalia? R. Dissolvi, quia sic se gerens censetur renuntiare juri sponsalium. Nec altera pars tenetur diu expectare. Nam licet Leges civiles dicant debere expectare sponsam per biennium, aut triennium spousum recedentem a Provincia; quoad hoc

correctæ sunt jure canonico. Unde nisi dilatio nimia, aut absentia fiat ex consensu alterius partis, vel recessus sit in propinquum cum spe reditus, potest alia pars cui voluerit nubere de consilio viri prudentis, aut ex Judicis decisione, si sponsalia fuere publica. Nota, quod quoties adsit causa dissolvendi sponsalia, esto sint jurata, nulla requiritur relaxatio juramenti, quia hoc sequitur naturam principalis.

PUNCTUM VI.

De supervenientibus causis dissolvendi sponsalia.

40. Inq. 1. Quibus causis supervenientibus possint dissolvi sponsalia? R. Posse dissolvi quoties talis mutatio, aut notitia circumstantiarum superveniat, quæ, si antea fuisset cognita, aut prævisa, minime contraherentur. Quoniam sub hac conditione, & non aliter censentur sponsi se obligare. Unde si superveniat gravis infirmitas, præsertim habitualis, aut amissio oculi, manus, pedis, auriculæ, nasi, aut alia deformitas, vel paupertas notabilis, sive ex utraque parte, aut infamia, vel quid simile dissolvi valent sponsalia. Idem si dicti defectus præcesserint sponsalia; altera autem pars eos ignorabat. Quia ratione contrahens sponsalia cum ignobili, illegitima, infirma habitualiter, paupere, corrupta, aut etiam vi oppressa, sive heretica, ignorando esse talem, non tenetur ad ea; nisi ignorantia esset concomitans. At si, cognito defectu, rata habet sponsalia, vel copulam cum sponsa, nequit amplius ab eis resiliere. Tunc enim censetur etiam cum illo defectu, & opere velle matrimonium inire. Ideo, qui sciens morbum, paupertatem, & alios defectus, contrahit sponsalia, ad ea tenetur; nisi alias rixæ, scandala, aut alia inconvenientia ex conjugio timeantur.

41. Inq. 2. An laborans aliquo ex præditis defectibus, ignorato ab altera parte, possit licite sponsalia, aut conjugium inire? R. Non posse imprimis compellere alteram partem defectus ignorare. Per defectum quippe privatur jure compellendi. Deinde nequit eam decipere positive, negando defectum; esset enim deceptio graviter

viter injusta. Insuper, si defectus sit noxius, aut contagiosus, tenetur illum patefacere, ut ex se liquet. Denique si defectus nec sit nocivus, nec reddat onerosius conjugium, sed minus gratum, si sciretur, ut copula occulta, sive in viro post sponsalia, sive in femina ante, aut post illa, inspiciendæ sunt circumstantiæ, & justa illas erit, vel non obligatio illum detegendi.

42. Inq. 3. An, si unus sponsorum notabiliter ditior fiat, dissolvere possit sponsalia? R. negat. Quia supposito, quod altera pars in eodem statu persistat, nulla deceptio, nullumve onus additur alteri; divitiæ enim supervenientes non nocent, sed prosunt matrimonio incedendo. Circumstantiæ tamen tales possunt occurrere, ut sponsalia dissolvi valeant. Ut si alter sponsorum simul cum divitiis ad altiorem statum, seu gradum inopinatum elevaretur.

43. Inq. 4. Qua auctoritate dissolvi possint sponsalia? R. Sub distinctione, vel enim sunt secreta, vel publica. Si primum, supposita causa sufficienti, possunt dissolvi propria auctoritate. Ad quod sufficit certitudo moralis causæ ex dicto unius testis probi, & fide digni. Si sunt publica, debeat regulariter dissolvi a Judice ecclesiastico. Tamen eo non est opus, si nullum præjudicium, nec scandalum ex eorum dissolutione sequatur. Vel quando causa dissolvendi certa est occulta, quin per testes probari valeat. Si causa est dubia, Judex adiri debet. Tunc enim ad illum spectat decidere. Si vero probabilis adsit causa, & Judex adiri nequeat, potest innocens propria auctoritate resiliere.

CAPUT II.

De matrimonio.

Quatuor nominibus matrimonium nuncupatur. Dicitur enim *nuptiæ* a nubendo, seu tegendo, quia olim virgo marito tradenda quodam velamine operiebatur. Vocatur *connubium* ab eodem verbo *nubo*, quia femina tegere debet omnia, quæ pudorem offendere possunt, ut Rebecca se texit ad conspectum sui sponsi Isaac. *Genes. 24.* Appellatur *conjugium* a communi jugo, cui vir, & mulier subduntur. Demum dicitur *matrimonium* a matre,

eo quod mulier illud celebrat, ut mater efficiatur. Vel quia ipsa plus quam vir in procreatione, & educatione prolis laborat. Sicut econtra *patrimonium* dicitur a patre, qui plus in ejus acquisitione, & conservatione desudat. Igitur in hæc capite ea, quæ ad essentiam, & conditiones matrimonii spectant, discutuntur cum D. Thom. q. 44. et seq.

PUNCTUM I.

De natura, divisione, & præcepto matrimonii.

44. Inq. 1. Quid sit matrimonium? R. Quod potest considerari ut sacramentum, & ut contractus. Ut sacramentum habet duas definitiones, metaphysicam, & physicam. Metaphysica est *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino, causativum gratiæ unitivæ*. Physica est *conjunctio sacramentalis viri, & feminae, individuum vitæ consuetudinem retinens*. Ut contractus civilis definitur: *conjunctio viri, & feminae, individuum vitæ consuetudinem retinens*.

45. Inq. 2. An matrimonium sit bonum & honestum? R. affirm. Quia ejus finis nempe propagatio, & conservatio humani generis est bonus, & honestus. Hæretici Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, & alii negarunt hanc veritatem. Lutherus vero econtra matrimonium virginitati prætulit, extrahendo virgines Deo sacratas a monasterio, tamquam a captivitate, ut ineptissime agebat. Sed catholica fides docet matrimonium esse bonum: meliorem vero virginitatem, præscindendo a ratione sacramenti. Nam licet in ratione sacramenti illam excedat; non in ratione status Deo famulandi. Lutherus hoc absurdo cognovit; sed libidinis æstu percitus, ad excusandas excusationes in peccatis, turpem adoptavit errorem, quem merito profligavit Trident. *sess. 24. can. 10.*

46. Inq. 3. An matrimonium sit sacramentum? R. affirm. Est de fide matrimonium inter catholicos esse sacramentum institutum a Christo Domino, quando Matth. 19. dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, vel alio tempore. Non enim certo constat tempus ejus institutionis. Sufficit certo credere fuisse ab